Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 223
Quelle:
Copyright:

trem meum doleo, ventrem meum doleo; compages artuum meorum soluebantur, et ultra spiritum non habebam. Sed quis de hoc clamore non miratur, qui videt in patulo ex hoc scismate mille pericula eminere corporum et animarum corruptionem morum, depressionem humilium deuotorum, exaltationem vilium reproborum, simplicium seductionem, antichristi introductionem, gaudium saracenorum, tripudium Judaeorum, commotionem gwerarum et preliorum. Temporalia dissipantur ecclesie, cultus diminuitur diuine honorificentie, defunctorum defraudabuntur (sic) *anime Legitima sacrorum ministratione et orationum oblacione. Surgent* (sic) *in prelatos principes subiecti populi, scandalizati Laici clericis redduntur infesti; detractiones multiplicantur, conscientie inquietantur. In vicarium Christi dampnabiles exprimuntur blasphemie, cum unus eorum communiter creditur esse Papa, et nihilominus alterutrum se blasphemando appellent vel antichristum et serpentem tortuosum vel machometum aut Ydolum ignominiosum et cetera, que christianis auribus nimium horrenda esse debent terrente verbo Saluatoris: Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit jehenne ignis. Cuius memores CL Patres Sinodi Ephesine prime contra Nestorium Episcopum et hereticum Sinodalia decreta eidem transmittentes.* &c. quae in memoratis editionibus habentur.

Illud ex subjectis in calce versiculis, ut versiculos amabat *Henricus* noster, addo: optime litem de Titulo Operis componi v. 3.

Consilii placeat nominetur Epistola pacis.

Itaque *Epistolam Consilii Pacis* dici volebat, quorum alterutrum omittendo facile duo diversa opera effinxeris.

III. *fol.* 29. Anonymi brevis *Tractatus de Tribus Habitaculis*, qui fine Titulo incipit: *Tria sunt sub omnipotentis dei manu habitacula. Summum ymum et medium. Quorum summum regnum dei id est regnum celorum, ymum vocatur infernus, medium mundus presens* &c. In horum descriptione et comparatione totum exigitur usque ad ultima verba: *deum omnipotentem benignum et misericordem cui est honor* &c. Recurrit alibi.

IV. *fol.* 32. p. 2. *Incipit tractatus de occultatione viciorum sub specie virtutum.* Infra *col.* dicitur *Magistri Hainrici de vrimaria.* Initium: *Est via que uidetur homini recta* &c. *Quia secundum gregorium. Moral. Multa sunt vicia* &c. Percurruntur vitia VII. Capitalia, singulisque Remedia generalia et specialia administrantur. Finis: *poterimus extirpare. Quod nobis deus prestare dignetur. Amen.* De hoc Tractatu ejusque Autore jam memini alibi.

V. *fol.* 45. *Tractatus de discretione spirituum M. hainrici de hassia.*